



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

207. An deferre possit juramentum canonicæ purgationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)



Pax-Jord. l. 12. tit. 1. n. 229. Barbof. de potest. Episc. allegat. § 4. n. 122. citans Bellenzin. tract. de subsid. charitat. q. 11. per totam. Anchar. cons. 60. n. 2. ubi dicit, Vicario Episcopi commissam esse jurisdictionem, non autem exactionem debitorum. Cui & rationem etiam addit Sbroz l. c. n. 7. quod Vicarius Episcopi agere & experiri possit ac si esset procurator, ut Jo-Aud. & Hostiens. in c. petito. de procuratorib. & quod Vicarius esse possit in iudicio & extra agendo & defendendo sicut procurator; procurator autem similia exigere non possit; ergo nec Vicarius similia Episcopo debita.

*Quest. 206. Num Vicarius tertiam partem fructuum prebendarum convertere possit in distributiones.*

**R**espondeo videri id posse Vicarium, & quidem sine speciali mandato Episcopi, loquendo de capitulis non exemptis, secus de exemptis. Et sic sentire videtur Fagn. in c. quoniam. de offic. delegati. n. 25. ubi: An possit Vicarius, qua Episcopo, etiam tanquam Sedis Apostolica delegato, committuntur per Trident. Sess. 21. c. 3. (Statuit autem ibi Tridentinum, ut in Ecclesiis tam Cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum & quorumcumque proventuum & obventionum, tam canonicarum, personarum, portionum & officiorum separari debere, & in distributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes, & ceteros divinis interessentes proportionaliter juxta divisionem ab Episcopo, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegato, ipsa prima fructuum deductione faciendam dividantur] videtur distinguendum. Nam aut agitur de capitulis exemptis, & non potest; quia hæc facultas ante Concilium Episcopis non competebat, & ideo opus specialis delegatione; aut agitur de capitulis non exemptis, & potest; quia Episcopi hanc potestatem habebant de jure communi quo ad capitula iis de jure ordinario subiecta, ideoque concilium hoc loco utitur dictione illa etiam que innuit, Episcopum debere aliquando procedere jure delegato, id est, respectu exemptorum; sed tamen posse etiam aliquando procedere jure ordinario, quod verificari non potest, nisi in non exemptis. Ita ille. Fundatur hæc responsio in eo, quod quæ Episcopo competunt jure ordinario (qualiter ei competere non delinunt, quod in iisdem quoque ut delegatus Apostolicus vi commissionis sibi à Tridentino factæ procedere queat) transeant in Vicarium ex commissione generali Vicariatus, nisi sint forte casus adhuc specialiter in jure excepti, juxta dicta sæpius supra. Quod minus tamen sine speciali mandato Vicarius facere possit dictam conversionem & divisionem, saltem respectu Ecclesiarum Cathedralium videtur obtinere consuetudo, vel forte etiam censeri illud ipsum ex arduis, quæ licet ordinario jure competant Episcopo, transire tamen non censentur in ejus Vicarium sine speciali commissione.

*Questio 207. Num Vicarius deferre possit juramentum canonicæ purgationis.*

**R**espondeo dictum juramentum (quod sæpe solet deferri reo, quando accusator non satis probat, etiam si reus ipse nihil probaverit, nec ad sint indicia ad torturam contra reum sufficientia,

P. Lenren. Vicarius Episc. Tract. 1.

ut Sbroz. l. 2. q. 167. n. 1. ex Jul. Claro in prax. crim. §. fin. q. 63. vers. solet etiam. Bertach. de Episc. l. 4. p. 1. tit. de Vicar. Episc. n. 12. in fine.) deferre nequit Vicarius sine speciali mandato. Ventrigl. Tom. 2. annot. 14. §. 1. n. 40. Barbof. de potest. Episc. allegat. § 4. n. 109. Pax-Jord. l. 12. tit. 1. n. 212. est enim delatio hujus juramenti meri imperii; Sbroz. l. c. n. 2. citans Speculator. tit. de jurisd. omn. Judic. in v. secundum Canones & Bertach. ubi ante. & cum his Pax-Jord. l. c. quæ autem sunt meri imperii experiri nequeunt per Vicarium sine speciali mandato, Sbroz. l. c. n. 3. uti & l. 2. q. 56. ex professo juxta c. 2. de off. Vicar. in 6. & ibi DD.

*Questio 208. An Vicarius restituere possit in integrum.*

**R**espondent passim AA. negativè, nempe quod non comprehendatur restitutio in integrum in generali mandato, adeoque eam facere nequeat Vicarius sine speciali mandato. Pirh. ad tit. de off. Vicar. n. 57. Ventrigl. l. c. Barbof. l. c. n. 108. citans Sanch. de matrim. l. 2. d. 40. num. 12. Sbroz. l. 2. q. 35. n. 4. Verum tamen contrarium tenere videtur l. 3. q. 13. ubi hanc materiam ex professo tractat, dum pro absolute affirmativa n. 1. citat Cardin. in clem. 2. de rescrip. n. 8. Bertach. de Episc. l. 4. p. 5. q. 27. n. 67. tit. de Auctor. Episc. circa Judic. Abb. in c. ex literis de restit. in integ. n. 11. & plures alios, ac dem n. 2. subdit rationem, nempe quod Ordinarii, qui habent jurisdictionem cum administratione, possunt concedere restitutionem in integrum; Vicarius autem Episcopi habeat jurisdictionem ordinariam cum administratione, ut probatur ex c. petito de procur. & c. in nova. 16. q. 7. ubi de Vicariis: quod in Administrationibus associantur Pontificibus. Idem tenet Laym. in c. causa. de restit. in integ. n. 2. Ubi: qui ordinariam jurisdictionem cum administratione, ideoque imperium aliquod habent, ut Episcopus, Vicarius generalis, & Prælati omnes Ecclesiastici, in integrum restituere possunt, quia exercent officium nobile. Restitutio enim in integrum ut idem Laym. l. c. n. 4. est actus imperii mixti ex nobili officio Judicis proveniens. Laymannum iisdem ferè verbis sequitur Pirh. ad tit. de in integ. restit. n. 62.

2. Ampliat hanc doctrinam Sbroz. l. c. n. 3. ut locum quoque habeat in Vicario foraneo, qui est delegatus ad universitatem causarum, & is non tantum cognoscere de causa restitutionis in integrum, sed & eam concedere possit, citat pro hoc Abb. in cit. c. causa. n. 7. contra Sfort. Odd. tract. de restit. in reg. p. 1. q. 33. a. 22. n. 154. & alios, quos citat. n. 12. est enim & dicitur talis Vicarius Foraneus delegatus ab Episcopo. Sbroz. cit. n. 3. causa vero restitutionis in integrum [ut dicitur. c. causa.] coram Judicibus ordinariis ab eis tractari poterit & finire; sive hoc ipsum delegatis specialiter demandatum fuerit, sive in commissionis negotio contigerit incidere hujusmodi questionem. Adeoque multo magis à tali Judice ordinario delegatus ad universitatem causarum, si habeat administrationem rerum in territorio aliquo, de causa restitutionis in integrum principaliter cognoscere potest eamque concedere, licet ea illi specialiter commissa non fuerit. Idque, quia delegati ad universitatem causarum equiparantur Judicibus ordinariis, ita ferè Laym. & ex eo Pirh. l. c. citantes Bart. in l. ult. c. ubi & apud quæ cognit. in integ. restit. & c. n. 4. Secus est de Judicibus, etiam ordinariis, qui

ad